



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IX. An duplici entitati possit conuenire mutua causalitas in diuerso genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

dum ab illa dependet alia, & tantum est posterior dum ipsa dependet, & cum non concedamus eandem entitatem simul insuere, & dependere, non concedimus simul esse priorem, & posteriorem, id autem respectu diuersorum temporum concedere nullum est inconueniens. Tantum posset obicere effectus, qui modò conseruatur à Deo adhuc moraliter depèdet ab illa causa, à qua primò fuit productus, quia ideo conseruatur à Deo in hoc instanti, quia antea ab illa causa fuit productus: ergo saltem moraliter est modò effectus posterior causà, à qua non actu depèdet sed dependit. Respondeo effectum conseruatum à solo Deo moraliter esse posteriorem causa primò producente relatè ad illius existentiam præteritam, ex vi actionis, quam terminabat, quod non impedit priorem respectu eiusdem causæ, non vt iam præterita, sed vt actu præsentis ex vi actionis actu ad illam terminata.

7 Iam de causa quoad secundam actionem ex vi cuius adæquatè existat supposita alia actione, similiter adæquatè mihi dubium non est posse dependere ab effectu, quem ex vi primæ actionis producit etiam in eodem genere, quo illum produxit. Supponit hæc conclusio entitatem posse dependere à duplici causa totali per causalitates adæquatas adæquatè distinctas, quod iam probaui Punct. 7. Quia suppositione facta, sentio ignem B, dependentem ab igne A, & producentem ignem C posse iterum ab eodem igne C, dependere per aliam actionem distinctam ab illa per quam dependet ab igne A. Ratio est, quia ad productionem ignis C, tantum supponitur existentia ignis B, dependens ab igne A, & non alia: sed postquam habet hanc dependentiam potest habere aliam, siquidem potens est duplicem adæquatam terminare: ergo poterit illa alia dependentia procedere ab effectu eiusdem ignis, quia nullo modo illam supponit. Confirmatur: ideo effectus non potest esse principium primæ, seu vnice actionis, quia virtus illum produciens dependet, quia illa actio vnica seu prima supponitur ad effectum: ergo poterit procedere ab ipso effectu. Neque in hoc maior est difficultas, quam illa, quæ reperitur in eo quod effectus duplicem dependentiam habeat adæquatam.

8 Obicies: Eadem entitas non potest esse prior, & posterior respectu eiusdem: sed si causa dependeret ab effectu quoad secundam actionem, esset prior & posterior respectu effectus: ergo non potest habere hanc dependentiam. Respondeo non posse idem esse prius & posterior respectu eiusdem, ex vi vnice causalitatis, seu dependentiæ, bene tamen posse, si duplicem dependentiam habeat, esse prius ex vi huius, & posterior ex vi illius, sicuti si quis duplicem haberet præsentiam, posset ex vi huius præsentis esse prior in ordine ad locum respectu Petri, & ex vi aliud esse posterior. Sic contingeret in prædicto casu: ignis B, quatenus productus ab igne A, prior esset igne C, quatenus verò supposita productione ab igne A, ex vi cuius est prior effectu, terminaret aliam actionem ab igne C, dimanans esset illo posterior.

9 Inquires an illa secunda actio semper dicenda sit conseruatio, vel etiam possit dici productio, vt à conseruatione distincta: Respondeo hanc secundam actionem dicendam esse productionem vt à conseruatione distinctam, si incipiat esse in eodem instanti temporis, in quo incepit prima actio, quia in illo instanti terminaretur ad effectum qui in mensura præcedenti temporis existentiam non habuit, quod autem effectus supponatur productus prioritate naturæ per aliam actionem, non reddit illam actionem conseruatiam, quia conseruatio non dicitur in ordine ad prioritatem naturæ, sed ad prioritatem temporis, quam supponit in termino.

PUNCTVM IX.

An duplici entitati possit conuenire mutua causalitas in diuerso genere.

1 **M**utua causarum dependentia potest sumi respectu causarum secundam entitatem, vel respectu causalitatum, quibus causæ suos produciunt effectus, vtroque modo sumptam illam explicabo. Mutua dependentia respectu causalitatum non ita intelligenda est, vt causalitas huius causæ dependeat à causalitate illius, & rursum illius causalitas à causalitate huius, hæc enim dependen-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

tia eandem habet difficultatem respectu causalitatum, & respectu causarum: dependentia ergo causalitatum, quam communis admittit sententia, nihil aliud dicit quam non posse dari causalitatem huius causæ, sine causalitate alterius, neque posse causalitatem huius principij non dependere ab illo: in hoc sensu datur mutua causalitatum dependentia, non enim potest dari causalitas principij passiuæ sine causalitate principij actiuæ, neque non dependens simul à principio actiuo, & passiuo. Ratio manifesta sumitur ex identitate causalitatum, cum enim actio quæ est causalitas agentis, & passio, quæ est causalitas passiuæ realiter non distinguuntur, mirum non est non posse separari, neque non posse aliquam illarum non dependere à principio, à quo alia dependet. Idem dico de causalitate intrinseca materiæ, & formæ respectu compositi, quæ consistit in eadem vnione, per quam constituitur vtrique pars essentialis, actu totum componens, seu actu causans, quæ non distinguuntur, idem enim est causam intrinsecè causare effectum, & illum intrinsecè componere. Stat ergo causas mutuo dependere quoad causalitates, hoc est non posse vnā sine alia causare.

2 De dependentia causarum secundum suas entitates mutua inter ipsas in diuerso genere procedit difficultas, mediū quidem sententiā omnino eadem cum illa, quam Puncto præcedenti exagitaui de mutua dependentia causarum in eodem genere, verumtamen multitudo terminorum, & maior illorum obscuritas respectu causarum in diuerso genere probabilem reddit hanc mutuam dependentiam in diuerso genere causæ, quam in eodem genere nullus audeat defendere. Procedit difficultas de causis, quæ verè causæ sunt, quia de finali causa controuersia non est posse esse causam in genere causæ finalis, & effectum in genere causæ efficientis, medicina enim est principium efficiens sanitatis, & sanitas est causa finalis medicinæ. De causis propriis, quæ verum influxum habent, affirmo non posse mutuo inter se dependere (loquor quoad primum esse) quod per singulas discurrens sic probō. In primis forma, quæ formaliter totum componit in nullo genere potest ab eodem toto dependere, non in genere causæ formalis, quia forma nullam causam formalem habet, non in genere efficientis, neque materialis, quod sic probō. Forma debet supponere principium à quo procedit iam existens: ergo vt forma dependeat à toto debet supponere existens totum: sed non potest supponi totum existens ante existentiam formæ: ergo non potest existentia formæ supponere totum tanquam principium. Non potest supponi totum existens ante existentiam formæ sic probō: Totum formaliter includit formam identificatam cum ipso: ergo implicat in aliquo priori existere totum, in quo non existat forma: ergo implicat totum esse prius formæ: ergo implicat totum esse causam formæ. Confirmatur: Nullus concedet idem posse esse causam sui ipsius adhuc in diuerso genere; sed si forma in aliquo genere dependeret à toto tanquam à principio, dependeret à se ipsa, ergo non potest à toto dependere. Minorem probō: implicat formam dependere à toto quin dependeat ab illo, quod est identificatum cum toto, & per quod totum constituitur: sed totum est identificatum cum forma, & per illam constituitur: ergo implicat formam dependere à toto, quin à se ipsa dependeat. Quod si dicas formam dependere à toto non quatenus hoc est identificatum cum forma, sed præcisè quatenus est identificatum cum materia, est dicere dependere tantum à materia, hoc ego non nego, neque ad rem facit, cum materia non dependeat à forma.

3 Aliter fieri potest comparatio inter materiam & formam, quarum formam dependere à materia fatentur omnes, materiam verò non dependere à forma, faciliè euincam, vt hanc mutuam dependentiam reilegem. Materiam non posse dependere à forma tanquam à causa materiali dabunt aduersarij, quia materia prima nullam habet materialem causam, & quia ipsi mutuam hanc dependentiam in eodem genere causæ non admittunt: non dependere tanquam à causa formali certum est, quia materia prima nullam habet formalem causam per quam constituitur, quod si illam haberet sicuti de materia secunda, seu toto aliqua accidentia recipiente fas est dici, adhuc non posset forma, quæ ab illa materia secunda dependeret, seu ab illo toto esse causam formalem constitutam

S 2

tutiam illius secundæ materiæ, seu totius habentis se per modum causæ materialis ad illam propter rationes, quibus nuper probavi non posse formam dependere in aliquo genere causæ à toto, quod formaliter constituit. Restat dici formam dependentem in genere materialis à subiecto in illud influere in genere causæ efficientis, quod in forma substantiali respectu materiæ primæ facile potest impugnari ex eo quod materia prima creetur, & nihil per creationem productum potest dependere à principio creato, quia nullum ens creatum creandi virtutem habet: tradenda manet vniuersalior ratio pro subiectis secundis, quæ per educationem sicuti formæ in ipsis receptæ producuntur, quam iam pro omnibus causis quomodocumque productis explicio.

4 Sit vniuersalior **C O N C L U S I O**, quæ omnia hucusque dicta amplectatur. Nullæ entitates possunt sibi mutuo esse causæ propriæ causalitatis ratione etiam in diuerso genere. Conclusionem hanc tradunt Suarez in Metaphysic. disput. 15. sect. 8. n. 20. & alij ex antiquis, quos ipse refert, quibus adde Hurtadum disput. 8. sect. 8. Arriagam disput. 7. sect. 8. subsect. 2. Effectus, in quocumque genere dependeat ab aliquo principio, supponit illud iam existens, (pono dependere in genere causæ materialis) ergo supponit illud iam productum: ergo non potest illud primo producere. Refellit plurimos distinctio in diuerso causarum genere, qui ita respondent: forma dependens in genere causæ materialis supponit subiectum existens in genere causæ materialis, concedo; in genere causæ efficientis, nego: ergo non potest illud efficere, negant consequentiam: Et si inferas: ergo non potest illud causare, distinguunt consequens: non potest illud causare in genere causæ materialis, in quo dependet, & in quo illud supponit, concedo consequentiam: in genere causæ efficientis in quo non dependet, neque illud supponit: nego consequentiam. Quanta in his verbis æquiuocatio! Inquiri illud in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis, ex parte cuius se teneat: ex parte modi, quo principium supponitur, quod debet esse existens, seu ex parte modi quo principium, quod est existens, est prius effectui, quod est idem, vel ex parte modi, quo illud principium est existens? hoc secundum ineptè dicitur, quia subiectum neque dicitur existere in genere causæ efficientis, neque in genere causæ materialis, quia per se ipsum existit: quod si in aliquo genere diceretur existere, diceretur existere in genere causæ formalis, id enim quod alicui entitati per se conuenit, dicimus formaliter illi conuenire, seu per propriam formalitatem quod posset aliquo modo dici in genere causæ formalis illis conuenire. Si membra, distinctionis non ipsum modum, quo subiectum existit, sed modum, quo subiectum est prius, ut necessum est afficiant, integra manet difficultas, quam iterum propono: forma, quæ in genere causæ materialis est posterior principio passiuo supponit tanquam causam influxuram in genere causæ materialis (viam præcludo omni distinctioni) existentiam principij passiu: ergo illam supponit iam productam: ergo non potest illam producere.

5 Respondent aduersarij formam supponentem existentiam principij passiu prioris in genere causæ materialis non supponere illam existentiam ut productam, neque productionem principij passiu, quia ad hoc ut principium passiuum causet in genere causæ materialis tantum per se requiritur existentia passiu principij, non verò illius productio, quia passio non dependet à productione existentie principij passiu, sed ab existentia passiu principij secundum se. Contra: Passio formæ supponit immediatè existentiam passiu secundum se ipsam, sed hæc passiu existentia supponit actionem productiuam illius: ergo de primo ad vltimum passio formæ remotè supponit productionem existentie principij passiu, quam proximè supponit. Confirmatur: calor dependens ab igne per se, & immediatè tantum supponit existentiam ignis, ita ut si per impossibile ignis existeret absque aliqua dependentia, calor eodem modo dependeret ab illo, & ex eo quod ad existentiam ignis requiratur productio ipsius ignis, calor supponens existentiam ignis supponit illius productionem: ergo passio, quæ supponit existentiam passiu debet supponere productionem passiu essentialiter requisitam ad existentiam eiusdem, quam supponit. Dices diuersam esse rationem, quia productio ignis requiritur ad ignem tanquam quid requi-

situm in eodem genere, in quo ignis supponitur ad calorem, productio verò passiu supponitur ad passiu tanquam quid requisitum in diuerso genere, ab illo in quo passio seu forma recepta supponit existentiam passiu. Contra: productio caloris ab igne supponens tanquam immediatam principium existentiam ignis, ex eo præcisè supponit productionem ignis, quia implicat dari existentiam ignis sine actione: ergo quociescumque supponitur aliqua existentia debet supponi, quicquid essentialiter ad illam requiritur, & sine quo implicat dari talem existentiam quomodocumque illud requiratur. Secundo: calor supponens ut principium efficiens ignem productum, illiusque productionem: ergo supponit illud iam receptum, & illius receptionem: ergo non potest esse principium sue receptionis. Probo consequentiam: calor supponit productionem ignis, non productionem abstrahentem à creatione, & educatione, quia id supponit, quod requiritur ad ignem, & ex vi cuius ignis existit, sed non existit ex vi actionis in communi: ergo non supponit actionem in communi, sed in particulari: ergo vel actionem creatiuam, vel educationem: si educationem supponitur iam ignis in subiecto receptus, & ex illo educus: ergo non poterit educi postea ex effectui, qui in illo priori, in quo est ignis educus non supponitur; si supponit actionem creatiuam, ergo ignis ut recipiatur in termino productum in genere causæ efficientis debet supponi aliunde creatus: ergo non datur hæc mutua causalitas quoad primum esse vtriusque causæ. Neque hoc dici fas est, quia si terminus postea recipiendus est per passionem non potest prius naturaliter supponi per creationem productum, quia naturaliter non potest idem terminus terminare educationem, & creationem. Breuiter rem totam cingo. Actio & passio sunt idem: ergo terminus supponens actionem supponit passionem: ergo sicuti effectus dependens in genere causæ efficientis non potest esse principij actionis, per quam causa producit, quia illam supponit neque poterit esse principium passionis, quia supponit eandem.

Demum ut omnem æquiuocationem in hac materia effugas, cautè aduerte, aliud esse rem poni in aliquo signo quasi exercitam in illo, aliud rem exercitam in alio signo poni in hoc ut conditionem ad illud, quod in hoc signo peragendum est. Cum dicitur creationem materiæ poni in illo priori seu illo signo causæ materialis in quo materia supponitur ad formam, non dicitur creatio materiæ fieri in illo signo, seu in genere causæ materialis, sed creationem exercitam in genere causæ efficientis, supponi tanquam conditionem prærequisitam ad virtutem, quæ in genere causæ materialis in illo signo supponitur. Eodem modo applicatio agentis ad passiu, quæ fit in genere causæ formalis supponitur in signo, in quo virtus actiu supponitur in genere causæ efficientis, & alia innumera huiusmodi exempla. Hæc doctrina apprime notanda est contra illos, qui cum argumentis supra factis opprimunt rem confundunt dicentes argumentem genera causarum confundere, cum dicit materiam in illo priori in quo supponitur tanquam virtus materialis ad formam supponere actionem prærequisitam ad sui existentiam, quibus verbis ita se protegent, ut viam disputationi præcludant semel & iterum reclamantes causarum genera confundi, ut rem confundant, ne ipsi argumentorum vi confundantur.

De dispositionibus eodem modo philosophandum est, dum in actu secundo ad formam disponunt, ac de reliquis aliis causis, dum enim in aliquo genere dispositiones influunt in formam, non possunt ab hac in alio genere dependere propter eandem rationem, quia non minus supponitur existentia dispositionum, ut determinent productionem formæ, quam existentia causæ materialis, ut illam recipiant: ergo sicuti causa materialis non potest in aliquo genere dependere à forma, quam recipit, ita neque dispositiones ab eadem forma ad quam disponunt.

Obiicies: Actus contritionis est posterior habitu gratiæ in genere causæ efficientis, & prior illo in genere causæ materialis, ut dispositio ad illum: ergo potest aliquid esse prius, & posterius saltem ut dispositio. Ut rem hanc componeret docuit P. Vasquez 1.2. disput. 212. n. 8. dispositiones posse dependere à forma ad quam disponunt, quam doctrinam tradidit Rubius lib. de generatione [capit. 4. tit. 2. quæst. 5. verumtamen plures suppetunt modi, quibus

res aliter sine hac mutua dependentia possit componi: non enim adeo certum est ut oppositum defendi non possit, habitum charitatis, à quo procedit charitatis actus, non distingui ab habitu gratiae. Deinde etiam dicatur hos habitus non distingui multi censent primum actum non produci ab habitu, nec certum est, actum contritionis supponere ex parte subiecti habitum tamquam propriam dispositionem, quibus omnibus dicendi modis tota res sine hac mutua dependentia agitur, qui verò tenendus sit alibi definiendum.

9 Alij obiciunt expulsiōem formae esse priorem, in genere causae materialis introductione contrariae, & posteriorem in genere causae formalis, quibus negandum est expulsiōem in aliquo genere esse priorem, de quo latè Controu. 8 Punct. 3.

CONTROVERSIÀ VIII.

De causa materiali & formali.

 G lib. 1. Controuers. 2. de materia, & Controu. 3. de forma, ubi dum essentias harum entitatum explicui, non pauca dixi de virtute causatiua illarum, & de causalitate materiae respectu formae, dum explicabam, quomodo formae praexistant in materiae potentia, & de causalitate utriusque respectu compositi, multa scripsi Controuers. 4. dum naturam modi vnionis explicabam, absolui in praesenti quidquid pertinet ad perfectam cognitionem harum causarum, ex quibus materialis causa se extendit, non solum ad materiam primam, sed etiam ad quodcumque subiectum ex quo educitur forma realis, vel modalis, substantialis, vel accidentalis.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid utraque causa, & utriusque causalitas.

1 **M**ATERIALEM causam definit Aristoteles in hoc lib. capit. 3. his verbis: *Ex qua cum insit, aliquid fit*; definitionem hanc merito recipiunt omnes Philosophi, contra quam frustra recentiores multa congerunt, quae simplici definitionis explicatione euanescent, hanc exhibeo, quae proluxa argumenta vito, & dirimo, festinè enim interficit, qui nasci prohibet. Definierat Aristoteles materiam primam lib. 1. cap. 9. *Primum cuiuscunque subiectum, è quo quidpiam eo fit patet ut non per accidens insit.* Intendit modò non solum materiam primam describere, sed etiam omnem causam, materialem, quae latius patet, quam materia prima, ideo omisit particulam illam, *primum subiectum*, cuius ratio formae potest competere, quae etsi sit formalis causa compositi, est causa materialis plurium proprietatum, quae ex illa educuntur, omisit etiam illam particulam, *eo patet ut non per accidens insit*, quae tantum potest conuenire subiecto respectu substantialis formae & materialis causa non solum ad hanc se extendit, sed etiam ad formas accidentales, quae ex illa educuntur. His demptis particulis, quod superest in definitione omni materiali causae conuenit & non alij, quod sic ostendo. Do verbum ex commune esse omnibus causis, imò etiam omni principio, quod latius causa patet. Definit enim Aristoteles prima principia, *quae non sunt ex alio neque ex alterutris, sed omnia sunt ex ipsis*, & hac ratione forma potest dici, ex qua fit totum, ita fert communis loquendi modus, quo dicimus totum constare seu componi ex materia, & forma; componi autem idem est, quod intrinsecè causari, causae enim intrinsecè non alio modo, quam componendo, causant. Neque audiendi sunt, qui dicunt hac, & similibus loquutionibus verbum ex sumi improprie, si enim frequenter sumitur hoc verbum in acceptione, quam volunt improprie esse, ex quo capite potest

Franc. Onedo, de Philosoph. Tom. I.

rimus cognoscere an hic & nunc verbum ex proprie, & non improprie sumatur? Sentio definitionem hanc causae materiali praecise competere ratione illius particulae *cum insit*, quae referenda est ad ly *aliquid*, ita ut faciat hunc sensum, *causa materialis est ex quo aliquid fit, quod illi insit*, in hoc sensu definitio omni causae materiali conuenit, quia omne, quod fit ex causa materiali illi inest medià passione, & non potest alij principio, seu causae competere, licet enim ex forma fiat compositum, & illa insit materiae, & sit in composito, compositum autem factum ex forma non inest ipsi formae, & ideo non potest ad illam tanquam ad causam materialem referri, cui debet inesse illud, quod fit ex illa. Hoc intendit Philosophus per illam particulam, *cum insit*.

2 Ceterum est valde notandum materiam dici in ordine ad duplicem terminum causam materialem, in ordine ad formam, & vnionem, quae ex illa educuntur, & illi insunt, & in ordine ad compositum, quod componit, quod non potest dici in esse materiae, potius materia dicitur esse in composito, tanquam inclusum in includente, & pars in toto. Compositum causat materia seipsam communicando tanquam aliquid illi intrinsecum, ex quo componitur, & cum quo inadèquate identificatur, formam verò, & vnionem causat tanquam effectus adaequate ab ipsa materia distinctos, quos totos ponit extra se entitatiuè, ita ut nihil illorum constituat formaliter neque componat, sed tantum illis det esse per receptionem, quod agens tribuit per actionem. Respectu horum effectuum materialis causa propria causa dicitur, sicut de materia prima respectu formarum substantialium probaui Controuers. 3. Punct. 4. in ordine ad quos causam materialem definit Aristoteles definitione adducta non in ordine ad totum quod non inest materiae, neque proprie est illius effectus ut postea ostendam. Ex hoc inferes illam particulam *cum insit* non esse intelligendam de inhæione medià vnione, sed medià passione, per quam causa materialis constituitur in actu secundo causans, ad cuius conceptum formalem non spectat ordo ad vnionem, quia ad hoc ut materia causet formam necessum non est illi vniri, etsi semper vnio illius causalitatem comiteretur, ut probaui punct. citato, ubi ostendi causalitatem materialis causae esse passionem, seu receptionem accidentalem & non vnionem. Neque diminutè processit Aristot. ex eo quod non definierit causam materialem in ordine ad totum, quia ut exactè res definiatur non debet definiri in ordine ad omnia extrema, ad quae dicit ordinem, neque causa in ordine ad omnes effectus est necessariò explicanda, sed sufficiet illam explicari per ordinem ad aliquem effectum per quem possumus totam naturam definiti perfectè cognoscere.

3 Conceptus causae materialis, & formalis in ordine ad totum componendum nullam dicunt receptionem accidentalem, aut potentiam ad illam ex parte materialis causae recipientis, aut formae receptae ut probaui Controuers. 2. Punct. 3. & Controuers. 3. Punct. 3. ubi de conceptu materiae, quae essentialiter est causa materialis totius & de conceptu formae quae eiusdem est formalis causa disputauit. Neque alius est conceptus causae materialis totius, quàm conceptus potentis componere per modum partis materialis, & conceptus formalis causae quam conceptus potentis componere per modum partis formalis quos conceptus explicui punctis citatis, ubi accuratè tractaui, quomodo inter se differant pars materialis, & formalis, & materialem partem perfectibilem per aliam partem formalem perficientem appellauit, & explicui, quid sit partem esse perfectibilem per formam substantialem, & accidentalem, & quid sit partem substantialem, & accidentalem aliam partem perficere, recognosce ibi latè tradita, nihil enim praeter ibi dicta desiderandum inuenio ad cognoscendas naturas causae materialis, & formalis totius, quae formaliter non differunt à partibus materiali, & formali eiusdem, quia conceptus causae intrinsecè à conceptu partis non distinguitur, & per easdem differentias per quas differunt pars materialis, & formalis differunt causa materialis, & formalis, & per eosdem conceptus per quos constituuntur pars materialis, & pars formalis constituuntur formaliter causa materialis, & formalis eiusdem totius.

4 Causalitatem materialis, & formalis causae totius in ordine ad ipsum totum ex parte materiae esse vnionem, per quam materia vnitur formae, & ex parte formae esse vnionem,

S 3 per